Quelle: https://manuscripta.at/?ID=416
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

aut diversitas suppliciorum, quanta est diversitas
peccatorum, quomodo sese habeat altius iudicat
sapientia divina, quam coniectura scrutatur aut
efferatur humana. Isti certe ad quos venit et
quibus locutus est Christus non habent de magno infi-
delitatis peccato illo excusationem qua pos-
sint dicere: Non vidimus, non audivimus. Sive non
acceptaretur ista excusatio ab illo cuius in-
scrutabilia sunt iudicia, sive acceptaretur,
et si non ut ab omni damnatione liberarentur, cer-
te aliquanto levius damnarentur. Qui me odit,
inquit, et patrem meum odit. Hinc nobis for-
tasse dicatur: Quis potest odisse quem nescit?
Et utique antequam diceret: Si non venissem et locu-
tus fuissem eis, peccatum non haberent, dixe-
rat discipulis suis: Hec facient vobis, quia
nesciunt eum qui misit me. Quomodo ergo nesci-
unt et oderunt? Si enim non quod est ipse, sed nes-
cio quid de illo aliud invenimur odisse quod
fingunt aut errando suspicantur, et tamen
non possent homines odisse quod nesciunt, non
veritas utrumque dixisset, quod eius patrem
et nescirent et odissent. Sed quomodo id fieri possit,
si adiuvante Domino per nos demonstrari
potest, quia hec disputatio est iam claudenda,
nunc non potest. Explicit omelia lxxxx.iii. Incipit omelia

De eo quod dicit: Qui me odit lxxxx.iiii.
et patrem meum odit.

Audivistis Dominum dicentem: Qui me
odit, et patrem meum odit. Qui su-
perius dixerat: Hec facient
vobis, quia nesciunt eum qui
misit me. Non itaque hic dissimulanda nascitur
questio, quomodo possint odisse quem nesciunt.
Si enim Deum non quod est ipse, sed nescio quid aliud eum
suspicantur aut credunt, et hoc oderunt, utique
non ipsum oderunt, sed quod sua mendaci suspicione vel
vana credulitate conceperunt. Si autem quod
est de illo sentiunt, quomodo eum nescire dicuntur?
Et de hominibus quidem fieri potest, ut eos sepe
quos numquam vidimus oderimus. Fama quippe
de aliquo sermocinante seu bene seu ma-
le fit non immerito ut amemus vel oderimus
ignotum. Sed si malus sit verax, quomodo est de
quo vera didicimus dicendus ignotus? An
quia eius faciem non vidimus? Quam cum et ipse non vi-
deat, nulli tamen notior esse potest quam sibi.
Non ergo in eius facie corporali nobis intimatur cuiusque
noticia, sed tunc nobis ad cognitionem patet,
quando eius mores vitaque non latent. Alioquin nec
se ipsum nosse quisquam potest, qui videre faciem
suam non potest; sed utique tanto certius quam notus est
aliis ipse se novit, quanto certius interiore
conspectu potest videre quid sapit, videre quid
cupit, videre quid vivit; que cum aperiuntur et
nobis, tunc vere fit cognitus nobis. Hec itaque
quomodo plerumque ad nos de absentibus vel et mor-
tuis sive fama sive litteris perferuntur, hinc
fit sepe quos numquam facie corporis vidimus, non
tamen quos omnino nescimus, vel oderimus homines vel
amemus. Sed plerumque in eis nostra credulitas
fallitur, quia non numquam et hystoria et multo ma-
gis fama mentitur. Sed tunc autem ad nos ne perni-
ciosa opinione fallamur, ut quia non possumus